Epistola 242.

# GULIELMO ANSLARIO IOHANNES COCCEIUS.

Mi fili charissime.

Ad literas tuas scriptas d. 2. Februarij habes responsum meum. Alteræ scriptæ sunt 11. Febr. Ad eas venio. Omitto, quæ excusationis causa affers. Placent hæc nobis, qualia sint. Nollem te esse aliquando subtiliorem. Semper gaudendum est. Sed τῷ δεσπότῃ ἀδιαλείπτως.

Quod attinet analysin c. 8. ad Rom. v. 14. 15. 16. non multum abscedit à sensu meo. Attamen cogita, annon Apostolus veritatem justificationis ex fide non tam ex conjunctione glorificationis cum fide probet, quàm ex certitudine adoptionis ad hæreditatem gloriæ. Hoc modo. In quo sumus filij, id verè et solidè justificat.ˣ In fide sumus filij. Ergo fides verè et solidè justificat. Minor probatur. Quod habemus à spiritu adoptionis, in eo sumus filij. Fidem (Evangelij) habemus à spiritu adoptionis. E. in ea sumus filij. Minor probatur. Per quod clamamus, Abba, Pater: id habemus à spiritu adoptionis. In fide Evangelij clamamus, Abba Pater. E. eam habemus à spiritu adoptionis. Rursus. Quod non habemus à spiritu servitutis, ~~ad~~ qui est ad metum, vel (qui) dabatur olim ad metum (ita occurro scrupulo tuo per συνδυασμὸν τὸ ἐλάβετε, πνεῦμα δουλείας, εἰς φόβον) id habemus à spiritu adoptionis. Et in eo non metuimus, neque servi sumus, ~~ut~~ nihil ut requiramus, quod opus nobis faciendum sit, ut justi simus; sed clamamus, Abba, Pater. A ~~c~~ contrariis argumentum. Rursus. ~~Quod~~ Per quod spiritus noster testatur, quod simus filij Dei: id ~~est~~ justificat. Atqui per fidem Spiritus noster i.e. anima nostra testatur, quod simus filij Dei. Quippe clamat, Abba, Pater. Neque hoc testimonium vanum est. 1. quia nemo frustra potest Deum diligere ut Patrem. 2. quia Spiritus attestatur spiritui nostro. Nam verbum Spiritus, quod est promissionis et Evangelij, jubet nos clamare Abba Pater. etc. Unde patet, quæ sit vera justificationis natura. Diligi à Deo ut filium; et amare Deum ut Patrem; et à Deo appellari filium, hoc et non aliud est justificari peccatorem.

Legi ceremoniali pœna fuit addita. ~~Ha~~ ~~Hebr.~~ Hebr. 2: 2. Memini scribere de כרת; quæ ~~ma~~ pœna immundis dicta fuerit, si res sacras contrectassent; quæ pœna edentibus de animalibus impuris. Item ~~quod~~ violatoribus Sabbati? Item, qui pro peccato non obtulissent, iis nec peccata remitti? ~~Ef~~ Item, Aliis, quæ acceperit, interficiuntur? et sim. Indifferentia à Deo vocantur: et bona sunt, non mala. Indifferentia dicuntur non Deo, sed homini, respectu moralis bonitatis. Est physica bonitas, quæ ostendit perfectionem Dei, ipse, invere [illegible].

Synodi in Professores nullam habent potestatem, nec in ullam partem Academiæ. quemadmodum expressè A. 1619. cautum et rescriptum est ad Curatores. quum Synodus aliquid tentasset. Idque diligenter retinetur à nobis. Et necessarium id est retineri. Non convenit ministris Ecclesiæ dominatio et legislatio et est ipsis inutilis. In

ˣ quia in eo sumus hæredes.

Uit de [illegible] en [illegible] de stellen.

Rectorat, quod scire vos, successit mihi D. Vorstius. Nunc habemus litis
cum Synedrio, super testimoniis, quae Studiosis Theologiae dant, ut Studiis
in quibus volunt extare, Confidere ipsos, quod non sint doctrinae philo-
sophemata Cartesiana, quae offendunt, aut noxia principia ex alia philo-
sophia. Vides, quorsum id artificium sit, et, quo tendat. De attributis
incommunicabilibus scripseram. Videbo, cum resumenda erunt in
editione meorum L. C. quid iis addendum sit. De actionibus perso-
narum sanctarum scio me alicubi scripsisse. forte in De processione
Spiritus S. Gratificabor tibi, cum potero. Facinus nunc dispono. Con-
tinuo materiam de Consilia gratiae et reg. Accedo ad literas scri-
ptas 22 Febr. Confido, te responsionem paratam habere ad obje-
ctionem tuam de Joh. 3:16. Propositum servandi non pertinet
ad omnes et singulos. ut nosti. Hoc ante praedicat Christus. In
diss. de fide et pers. K. 6. quaeritur, An ea, quae per demon-
~~straal~~ strationem sunt vel fieri possunt evidentia, esse ad fidem
possint pertinere. Et quid in negocio fidei valeat ratio.
§ 31. respicio ad illud, Timor Dei initium sapientiae. Recte cepisti mentem
meam. In psalterio absolvimus ps. 112. De regno Dei ita
dixi, ut periodorum nec oblivisceremur nec tamen eas ordine expo-
nerem. Habui rationem dicendi eis a reportas. / Exemplar, quod
tertia epistola scripta 1. Martij petis habebis adjecto libello
de Foedere, cum prodibit. Librum Fortunatum habebis, cum
voles. Voles autem, cum de dare studio illi incipies, ut scri-
bis. Spero te aliquid illo studio non vulgare praestiturum. Id
a te expectatur. Omnia autem sunt referenda ad Scripturam.
De Severo multas ago gratias. Quod Medioburgi animus
dispersus fuerit, non placet. Cavebis curas et nimias curas.
Miraris, cur Adamus non aeque servare potuerit posteros ac
perdere? Praesupponis, si Adamus perstitisset, quod imago
Dei pervenisset ad filios, id meriti futurum fuisse. In eo
laberis. Hoc enim provenisset ab eadem causa, propter quam ipse
Adamus non nisi rectus ~~esse~~ creari potuit. Quod de senioribus
parentibus quaeris, an perditurus fuissent suo peccato suos filios?
equidem aliter statuere non possum. Et lex peccata patrum im-
putat. Quod scire desideras, quando cogitemus venire:
nos quidem ita quotidie loquimur ea de re, ut, si Deus velit
circa festum Ascensionis, nos itineri demus. Paschata nimis vicinum
est, et tum Scholarum examen et Synaxis. Cum his finio. Deus
vos benigne regat et custodiat. Parentibus officiosam
salutem ascribimus. Valete. Lugduni 12. Martij 1660.

Tui amantissimus

Joh. Cock.

Heri accipimus epi-
stolam filiae scriptam
Medioburgi, quam
in proximum itineris
differt.

Meus frater vos diligenter salutat, qui misit
tractatum quendam juridico-historicum. Hermannus Breme concionator.
Cognatus Joh. Snel similiter vos salutat. Is sperat se propediem mihi
nunciaturum, se avum factum. Mihi nondum licet esse tam diserto,
quia vos siletis.

Reverendo et doctissi-
mo viro D. Gulielmo
Anslario Verbi divini
ministro in Ecclesia
Christi, quae est
Biezelinge.
Middelburch
ten huyse van Myn Heer
Jacobus Anslaar Bedie-
naar des Godliken woords.